



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

I. Januarii. Jesus Christus heri, & hodie, & ipse in sæcula. Heb. 12. 8.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Januar.

I. JANUARII.

JESUS Christus heri, & hodie, & ipse
in sæcula. *Heb. 12. 8.*

Incipien- I.
dum à
JESU.



ESUS Verbum Patris, ver-
bum inter omnia verba au-
spicatissimum, utpote no-
men Increati, & Incarnati
Verbi, sit primum, quod

anni ineuntis die primo, ex ore meo prodeat ver-
bum. Tria nobis de JESU proponit strictim expen-
denda, prima hæc primæ diei tessera, *Heri, Hodie, in*
Sæcula. Hoc est, Fuit, Est, Erit. Ut Deus, fuit *Heri*,
id est, ab æterno; ut Homo, est *Hodie*, in præsenti; ut
Deus Homo, erit *in sæcula*, in futuro semper. Sicut
ergò JESUS complectitur omnia tempora, præteri-
tum, *Heri*; præsens, *Hodie*; futurum, *in Sæcula*: sic
omnibus Justitiae titulis debent illi consecrari, sin-
gula omnis temporis momenta. Et quia nullum est
momentum, quo non accipio à Jesu beneficium, sic
nullum hoc anno erit momentum, quo Jesu non re-
pendam obsequium.

II. Cùm Jesus ut Deus, sit Primogenitus Patris,
ut Homo, primogenitus Matri, ut Deus homo,
(a) *Primogenitus omnis Creaturae*: idem quoque
erit mei dum loquar, primogenitus oris, dum dili-
gam, cordis; dum cogitabo, mentis. Id igitur
fixum est, à primo die Januarii, usque ad ultimum

A

Decem-

(a) *Colos. 1.15.*

Decembris, mane ubi evigilavero, primum, vespere
iubi decubuero, novissimum, quod ex ore meo
prodibit verbum, erit Nomen illius, qui est (a) Pri-
mus & novissimus: qui de seipso dicit: (b) Ego ex ore
Altissimi prodixi: hoc est Jesus. Quia igitur Jesus
mihi hodie obtulit primitias sui Sanguinis; ego illi
hodie offero primitias mei temporis. Cui enim æ-
quiori jure debentur primitiae temporis, quam illi,
qui fuit omni tempore? Nec tantum omnis tempo-
ris, sed in tempore, omnis operis illi consecrabo
principium, quia ipse α, id est, principium, Medium,
quia est Mediator; Finem, quia est ω, id est, finis.
(c) Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.
Ex Iesu enim est omnis Potentia, Per Jesum est
omnis Sapientia, in Iesu est omnis Bonitas.

III. A Iesu, ad te, opus manuum Iesu, oculos
retorque. Jesus fuit, est, erit, Heri, Hodie, in Sæ-
cula. Tu quid fuisti, quid es, quid eris? Fuisti in
utero, es in exilio, eris in tumulo. Fuisti sperma
fætidum, es saccus stercorum, eris esca verminum.
Fuisti embrio, es homo, eris cadaver. Anno præ-
terito fuisti, hoc præsenti adhuc es, sequenti fors
non eris. Fuisse, jam nihil est, Esse, momenta-
neum est, Fore, perpetuum est. Ante omne tem-
pus fuisti in abyssu inanitatis, quia nihil: brevi tem-
pore es in abyssu calamitatis, quia mortalis: eris
omni tempore in abyssu æternitatis, quia immor-
talis. Nunc igitur cum D. Bernardo: (d) Considera
unde venis, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quò vadis,
& contremisce. Extendat se igitur ad tempus præ-
teritum

(a) Apoc.1,18. (b) Eccl.24,8. (c) Rom.11,36. (d)
In Psal.4.

ar.
pe-
neo
Pri-
core
esus
illi
næ-
illi,
po-
abo
um,
nis.
nia.
a est

ulos
Sæ-
i in
arma
um.
ræ-
fors
anta-
em-
em-
eris
or-
der-
dis,
ræ-
um
(d)

Januar.

Tessera.

3

teritum Pudor', ad præsens Dolor , ad futurum Ti-
mor, cogitando quid fuisti, es , eris.

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore:

Nam simul omne perit, quod fuit, est, & erit.

2. DIES JANUARII.

Ecce nova facio omnia. Apoc. 21. 5.

Cum anno novo, Partus Hominis novi.

Cum no- I.
vo anno
nova om-
nia facien-
da.

NOYUS, quem heri fuimus au-
spicati , annus , nova omnia
exigit in omnibus. Nova o-
pera, nova desideria , novas
cogitationes , novos pro salute conatus, novos pro
cœlo labores, nova pro æternitate studia : nova con-
tra hostes nostros prælia. Nunc adhortatur nos
Deus, voce Ezechielis, sub exordium novi Annis
(a) *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Nunc
per totum orbem latè resonat argentea illa Spiritus
sancti tuba (sic Paulum appellat D. Chrysostomus)
adhortans ut olim Ephesios, sic omnes ubique terra-
rum diffusos Catholicos: (b) *Induite novum hominem.*
Imò vult, ut quilibet sit in Christo, (c) *Nova Crea-
tura.* Denique sic debent esse cum hoc novo anno,
omnia nova , ut quisque dicere possit , quod Agnus
ille Apocalypticus è suo throno : (d) *Ecce nova facio
omnia.* Quia omnia quæ priùs faciebam, erant opera

A 2

veteris

(a) *Ezech. 18. 31.* (b) *Eph. 4. 24.* (c) *2. Cor. 5. 17.*

(d) *Apoc. 21. §.*